

magna ambitione ductus, hæresin, & ipse suam, id est, proprium errorem habere voluit, quo se inter alios hæreticos iactaret. Vixisse autem videtur Theodotus iste sub Zepherino Pōtifice Roman. & Seuero Imperatore, circa annum à Christo passo 174. quia proximè Theodotianis hæreticis succelsit, quorum errorem à se auctum & multiplicatum in aliis capitibus secutus est vir audax & impius. Fuit enim hæc hæresis tanquam auulfus ab illa mala stirpe ramus, quanquam Epiphanius dubitasse de prima origine & radice huius mali videtur. Quandiu perstiterit non annotant scriptores, & statim concidisse fit mihi verisimile, quia partim orthodoxorum disputationibus iugulata est: partim trobustiore Samosatenianorū & Arianorum, qui horum fuerunt successores, fraude & nomine notio re oppressa & sepulta. Quas etiam in regiones orbis & Ecclesiæ grassata sit, non est diligenter obseruatum, Romæ tamen nota fuit, & in Græcia, ubi leui disputationis i&tū deiecta periit.

2 Non hominem fuisse.) Isidorus hunc locū transcripsit. Primū igitur huius erroris caput hoc fuit, Quòd Melchisedechum de quo Genes. 14. fit mentione, non putant fuisse hominem, sed Dei virtutem Christo ipso & Dei filio potentiorē, augustiorem, & feliciorem, ad cuius imaginē & typum Christus ipse fuerit à Deo factus. Tertulliani verò hæc verba sunt de hoc capite. Nam illum Melchisedech ait præcipuæ gratiæ cœlestem esse virtutem, eò quòd agat Christus pro hominibus, deprecator & aduocatus ipsorum factus: Melchisedech verò pro cœlestibus Angelis atque virtutibus.

Huius